oratiuncula tam nervosè tam apposite sibi applicatae. At
ego miserrime distrahor, neque ad amoenitates istas, nisi
carptim obiterque admittor. Hâc tibi in re tamen si
ullo modo possim, non sum defuturus. Vale Vir doctis
sime, et si aliquando eleganti calamo illi quid exciderit
rei novae, quaeso mecum communicato, qui inter Reipu
blicae crebras hodie molestias atque aegritudines, aveo me
his floribus oblectare nonnumquam. Quae Beaumontiis
de nummis credita, et praecipuè de ultima voluntate in
scripsisti, Lepidissima sunt, et ipsa insolentiâ quâ valdè
capior, mihi gratissima. In Castris ad Sylvam Ducis
14. Augusti 1629.

In Effigiem Domus Veselariae

Ilicet, et miseros maneant sua fata Brabantos,
(Audiat illud Iber) Stabis avita Domus.
Stabis, et invicta, etiam post funera, verbis
Extincta dabitur dicere, Talis eram.

(107.)

S. P. Heinsio.

Poteram videri non immeritò facilitate tuâ abuti, Vir
Maxime, nisi hanc insignem scilicet repetendae scriptionis
occasionem nactus fuissem. Non putavi autem fugere
te oportere nugacissimi hominis ineptias, quarum istud
mihi hesterno die ~~missum~~ allatum e Britanniâ exemplar. Eo
gaudebam amplius, quod notabile ridendi argumentum
oblaturus tibi extemplo videbar, quasi in vicem taediosae
lectionis, quam candori tuo intemperantia nuper nostra
parum opportune obstrusit. Equidem hoc futili negotio
plus quam leniter afficior, ut cui conjunctissima olim
cum praeclaro isto Censore familiaritas intercesserit, eâ
fere tempestate cum Vorstio idem iste vere Scoticum (quod
vernaculè dicimus) publicè negotium facesseret, et
omnem irrequieto pede lapidem moveret, quo ad solennis
Monomachiae aleam admitteretur. pari prorsus quo nunc
ut opinor oestro percitus. Tu, si otium est, vel ride tecum
vel ride et ringere cum Aesculapiâ cohorte, caede tam

indigno

indigno pollice venerandos inculpatissimi Buchmani manes, cujus quidem ego Poemati proximum ab Heinsio locum tribuere, uixus magnorum virorum judicio, non rarò in animum induxi. Salve et vale plurimum, vir excelse et me ama certe amari ne dedignare ab.

Observantissimo Tui.

H: 21. Octob. 1629.

Salutant te summoperè Parens, et frater mei. Ego verò ut remittantur quam primum, ista logomachicων, certamina vana duellûm, obnixè rogo.

(108)

P. Bertio.

De Statua Eumenij Rhetoris, Clarissime Rhetorum, quod compellatus nunc ago, diu est cum ultro praestitissem, siquidem super ea re habuissem cujus te certiorem fieri pretium operae fuisset. Testabitur nobilissimus Rutgersius tuus, succisivi itineris ac tamen non furtivae digressiunculae ad ea loca jucundissimus comes, quam importuna temporis angustia ab exoptata celebris monumenti inspectione divulsi fuerimus. Adde Principis cum omni comitatu absentiam, in aula solitudinem atque triste silentium, quod mihi, cum sciscitandi a domesticis, tum verò cum peritioribus disserendi occasionem praeripuisse facilè intelliges. Fatebor ~~enim~~ interim, quantum quidem ex festinato intuitu percipere datum, aliquid eam effigiem amplius impudenti adserentium audaciae quam origini suae debere, ut pote quae paucas admodum sincerae antiquitatis notas (properantibus certè oculis) exhibeat; Cui sententiae subscripturos quoscumque modicam in veteris cum hodierna Statuariae comparatione peritiam adsecutos, nullus dubito. Adeo mihi et corporis universi, pro saeculi istius exquisita elegantia, parum venusta compositio, et ipsa denique materiae insolentia, omnem protinus antiquitatis opinionem excussere. Plura non addo, ne festinationis praetensae excusatio exactiori descriptionis serie infirmetur, neque tibi, vir Doctissime, tam satis facere ambitiose, quam obsequi modeste in animo habuisse videar. Vale et me ama qui

Tibi addictissimus

C. H.

Hagae Comitis 3. Non: Septbris 1629.

Barlaeo